verbū humanū. Per sal intelligitur sancti tas sue vite que est omnibus condimentū religiōis. Per cinerem intelligitur eius passio. Hijs ergo tribus debemus cor nostrum aspergere. scilicet beneficio incarnationis per quod prouocemur ad humilitatē exemplo sue conuersationis per quod īformemur ad sanctitatem. et memoriā sue passionis per quod incitemur ad charitatem.

Quarto scribitur in hoc templo cordis spūale alphabetum: siue spūalis scriptura Hec autem scriptura que ibi scribitur triplex est. s. dictamina faciendorum. testimonia diuinorum beneficiorum. accusatio perpriorum delictorum. De hijs tribus dicitur. Roma. j. Cum enim gentes que legē non habent naturaliter ea que legis sunt faciunt: huiusmodi legem non habentes ipsi sunt lex qui ostendunt opus legis in cordibus suis scriptum. ecce primū. Testimonium reddente eis conscientia ipsorum ecce secundum. Et inter se cogitationū accusantium vel etiam defendentium. ecce tercium.

Quinto debent pingi cruces id est assumi penitentie asperitates. que quidem debent inungi et igne illustrari: quia non solum ferende sunt patienter sed etiam libenter: quod fit per vnctionem. et ardenter quod fit per ignem. Unde Bernardus Qui sinitiatur timore crucem christi portat patiēter qui proficit in spe libēter portat eā. sed qui consummatur in caritate amplectitur iam ardēter. Item multi vident cruces nostras sed non vident vnctiones nostras. Qui ergo in se hec sibi habebit: vere templum ad honorem dei dedicatum erit dignus plane ē in quo christus habitat per gratiam vt tandem in eo habitare dignetur per gloriam. Quod ipse nobis prestare dignetur qui viuit et regnat deus per omnia secula seculorum AMEN.

Sequentes hystorie addite sunt ad Aurea legendam.

## De sancta Barbara virgine.

Temporibus imperatoris Maximiani erat quidam vir Dyoscorus noīe diues valde sed paganus. Hic habuit filiam vnicam noīe Barbaram. Fecit autem turrim sublimē: ibique reclusit eam vt non videretur ab hominibus propter eminentem eius pulchritudinem Locuti sunt igitur ei quidam de primatibus vt virum acciperet. Qui ascendens ad eā dixit. Filia: quidam de potentibus monuerunt me vt accipiant te in coniugiū. quid de hoc respondes. Que cum indignatiōē respondit. Ne cogas me hoc agere pater. Qui sic aspernatus ab ea descendit. et operam studiose impendit in construēdo lauatorio super fontem in quo Barbara virgo baptizata fuerat occulte. Instituerat enim multitudinem artificum. et quō deberet fieri ordinauerat. Profectusque in regionem longinquam: fecit ibi tempus non modicum. Descendēs vero barbara de turri: ad videndum opus artificiū: vt vidit duas fenestras solūmodo factas dixit artificibus Quare duas fenestras solūmodo instituistis. Dicūt ei. Pater tuus sic nobis mandauit. Dixit eis. Facite mihi fenestrā terciam. Qui dixerūt. Timemus dn̄a ne indignetur pater tuus aduersum nos. Barbara rn̄t. Quod dico vobis facite. ego de hoc acquiescere eū faciam. Ipsi vero acquieuerūt vt terciā fenestram facerent. Perambulās vero barbara natatoria īstituit in marmoribus digito suo sancte crucis signū perdurans vsque in hodiernum diem ad compūctionem intuentiū. Ingressa vero ad fidem in qua gradiebatur aqua orauit vt aqua illa sanctificaretur. Deinde ascendens turrim vidit simulachra que colebat pater eius et afflata spiritu sancto spuit in faciem eorum dicens. Similes vestri fiant qui faciunt vos et omnes qui confidūt in vobis. Et ascendens in turrim erat ibidem deprecans dominū. Finito autem opere reuersus est

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-146/0486
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG